



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Disputatio 13. An dari possit Libertas in actu secundo absque libertatis  
actui, & amissione?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

DISPUTATIO XIII.

AN DARI POSSIT LIBERTAS IN ACTU SECUNDO  
ABSQUE LIBERTATIS ACTU, ET AMISSIONE?

503. Inquitimus in presenti, utrum voluntas possit se liberè exercere in actu secundo, quin ullum libertatis actum, aut actionem producat, quod idem est, ac quærere, an dari queat pura omisso libera? Rem explico; quando homo nequit liberè scribere, cessat scriptio externa per puram omissionem scriptiois externæ, quin interveniat ullus externus actus. Quærimus ergo, quando voluntas expedita est cum libertate proxima ad amandum, ac proinde instructa motivis allimentibus, & retrahentibus ab amore, possit se liberè exercere intrinsicè purè omittendò amorem? an autem requiratur necessariò (ut voluntas se liberè exerceat) actus positivus incompossibilis cum amore, qui omittitur, sive hoc sit directè volendò exercitium amoris, sive aliter; ita, ut voluntas libera nequeat exercere libertatis dominium, nisi per actus positivos? Prima sententia docet, possibilem esse puram omissionem liberam, ita plures, & quidem gravissimi Auctores, quos citat Isquierdo tomo 2. de Deo Tractatu X. disputat. 30. q. 6. tit. 7. Secunda sententia negat, ita Card. de Lugo, Sfortia, Ribadeneira, Esparza, Quirós, Herrera, aijque quàm plurimi.

SECTIO I.

Resolvitur Controversia.

503. Assero cum secunda sententia. Pura omisso libera repugnat. Probat. 1. Exercitium liberum potentia se liberè exercentis debet necessariò respicere motivum aliquod, vel aliquem finem; sed pura omisso nequit habere finem, aut motivum; ergo pura omisso nequit esse liberum exercitium principij per se liberè exercentis. Conseq. tenet, si præmissæ probentur. Probat. maj. Agens rationale nequit se liberè determinare, & exercere, nisi ratione ducatur; atqui ratione duci, nihil est aliud, quàm aliquo fine moveri, sive quòd exercitium liberum principij se liberè exercentis respiciat motivum aliquod, vel aliquem finem; ergo &c. Probat. 2. Agens liberum, & morale, utpote imperandò se discernens à brutis, nequit se liberè exercere, quin possit rationem reddere de sua operatione; hoc autem est exercitium liberum respicere finem, aut motivum. Probat. 3. Principium liberum ut liberum, constituitur per cognitionem, quæ ex uno motivo allicitur, & cognitionem, quæ ex alio motivo retrahitur ab operatione ad opinionem; ergo exercitium liberum, sive fugæ, sive amplexionis respicit motivum.

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

504. Probat. min. primi syllogismi. Pura omisso libera nihil est (ut verbis Adversarii utar) sed quod nihil est, nequit respicere finem, aut motivum; ergo. Probat. min. Quod nihil est per se, nequit posse respicere finem, aut motivum, cum per se nihil non sit effectus, aut expressio rationalis appetentis; nequit enim respicere motivum per alium actum ipsius nihili socium; aliter voluntas non purè omitteret, cum jam eliceret illum actum ad omittendum aliud extremum ex motivo; ergo pura omisso libera nullum potest habere finem, aut motivum. Confirm. 1. Exercitium liberum, medio quo agens reale respicit suum finem, est exercitium, medio quo sequitur ductum motivi allicientis, & resistit retrahenti; sed pura omisso, cum nihil sit, nequit resistere retrahenti; ergo. Confirmatur 2. Agens resistens alicui motivo aliquid ponit ad resistendum, quod non ponebat, quando non resistebat illi motivo; sed purè omittere non est aliquid ponere; ergo &c.

505. Respondebis primò, puram omissionem liberam moraliter æquivalenter, & interpretativè esse aliqualem amorem erga motivum illum, ratione cujus actus omittitur. Contrà tamen 1. Amor motivi illius est quid positivum, pura autem carentia, cum nihil sit, est contradictorium actus positivi; atqui contradictorium actus positivi nequit esse moraliter æquivalens, & interpretativè amor; ergo &c. conseq. tenet Major est certa, minor probatur. quia ex eo, quòd lux sit contradictorium tenebrarum, lux nequit esse moraliter æquivalenter, & interpretativè tenebræ, nec tenebræ possunt esse moraliter, æquivalenter, aut interpretativè lux. Contrà 2. Quod est alterum interpretativè, est aliquid supra id, quod nihil est; sed pura carentia non est aliquid supra id, quod nihil est; ergo &c. Contrà 3. Quia imperceptibile est, quomodo purum nihil sit interpretativè aliquid positivum, cum reverà omittere, non sit aliquid agere; neque dicas, esse agere interpretativè: nam hoc est imperceptibile; quia omittere, & agere, opponuntur contradictoriè, & nulla res potest esse æquivalenter suum contradictorium. Contrà 4. Quia imperceptibile apparet, quomodo nihil agere, sit æquivalenter resistere motivo retrahendi, et uniri allicienti; sin autem: explicent Adversarii, quomodo id fieri possit.

506. Respondebis 2. id facile percipi posse; quia puram omissionem esse nihil, non est idem esse, quòd chymæra, sed dicit nihil contrapositivè ad actus positivos; cum autem sumi possit contrapositivè ad chymæram, non est adeò purum nihil, ut non sit aliquid diminut.

Kkk

diminu.

diminutum augens numerum realiter suo modulo existens, & capax denominari, & moveri à fine. *Contrà* tamen 1. Quia tam imperceptibile est, quòd pura omisio sit aliquid contradistinctum à chymæra augens numerum realiter, & suo modulò existens, quin sit ens positivum, quàm sit imperceptibile, quòd sit moraliter, & æquivalenter ens positivum; sin autem, rogo, cur non sit ens positivum illud, cui reverà tot, & tanta prædicata conveniunt? Quid ampliùs requiritur, ut ut aliquod ens sit positivum? Ego sanè meam tarditatem fateor, nunquam enim intelligere potui, quomodo non sit ens positivum, quod habet actu prædicata reverà differentia à chymæra, quod actu auget numerum realiter, quod actu reverà suo modulò existit, neque hucusque explicare potuerunt Adversarij, quomodo ens positivum non sit; ergo hæc solutio potius implicat, quàm explicat differentiam.

507. *Contrà* 2. Purum nihil non potest reverà produci à positivo principio, neque reverà producere; ergo neque potest reverà pendere à positivo principio, à positiva inclinatione, à positivo motivo; atqui, ut pura omisio libera respiciat finem, & motivum, debet pendere ab his omnibus; ergo impotens omnino est respicere finem, & motivum. *Contrà* 3. Si pura omisio esset capax denominari, & moveri à fine, induceretur ab agente vitali, ut vitalis est; esset enim exercitium agentis rationalis rationaliter operantis; ac proinde præcontineretur in agente vitali, ut vitali, atque ita esset aliqualis vitæ modus; atqui in ipsis terminis implicat, quòd purum nihil sit aliqualis vitæ modus; ergo &c. *Contrà* 4. Quia, ut pura omisio percipiatur capax denominari, & moveri à fine, assignari debet via, qua id fieri possit, quod Adversarij non præstant; ergo &c.

508. *Respondebis* 3. dependentiam puræ omisionis à motivo, consistere in modo positivo superaddito, quo omisio alligatur ad cognitionem hujus motivi præ alio. *Contrà* tamen 1. Modus inhæreere debet rei, cujus est modus, proindeque modus ille positivus inhæreret puræ omisioni; sive, quod idem est, in illa pura omisione sustentaretur; atqui modum positivum sustentari in pura omisione, sive in puro nihilo, est prorsus chymæricum, & inauditum; ergo ratione talis modi alligantis omisionem ad motivum, nequit consistere in dependentia puræ omisionis à motivo. *Contrà* 2. Ex hac responsione fieret, illam omisionem non esse puram; sed reverà esse ens positivum, cum reverà sustentare posset ens positivum, quod ipsi inhæret; ergo ex hac responsione fit, repugnare puram omisionem liberam.

509. *Contrà* 3. Et explicatur ulterius præcedens ratio; illa omisio haberet prædicata sufficientia ad sustentandum verè, & realiter

ens positivum; ergo haberet prædicata sufficientia ad constituendum verè, & realiter ens positivum; aliter enim eodem jure dici posset subjecta omnia inhæsonis esse purum nihil, quantumvis in eis formæ positivæ recipiantur; quid absurdus? *Contrà* 4. Pura omisio nequit proqui modò positivò; ergo neque conservari modò positivò. *Contrà* 5. Nullum potest assignari agens, à quo pura omisio accipiat esse adeò magnum, & robustum, ut valeat sustentare ens positivum; ergo talis omisio, talisque modus ejus impossibilis est. *Contrà* 6. Quia, si voluntas ad mittendum deberet producere modum illum, jam non posset purè omittere, neque daretur dura omisio libera; ergo ex ipsa Adversariorum responsione fit, repugnare omnino puram omisionem liberam.

*Respondebis* 4. dependentiã puræ omisionis liberæ à motivo stare in eo, quòd pura omisio connectatur cum noticia præcedente, retrahente, & alliciente ad actum. *Contrà* tamen 1. Si illa omisio pura connecteretur cum præcedente noticia retrahente, & alliciente ad actum, non esset contradictoria illius actus; ergo actus non deficeret præcisè per talem omisionem; ac proinde posset omitti actus, quin actus deficeret, quod chymæricum prorsus est; consequentia tener; quia, si illa omisio non esset contradictoria actus, non esset, cur non possit componi cum actu. Probat. anteced. Si illa omisio esset contradictoria actus, daretur, quotiescunque non daretur actus; hæc enim est natura contradictoriorum, ut deficiente uno, alterum deat; atqui ea omisio non daretur, quotiescunque non daretur actus; ergo &c. Probat. min. Ab æterno non datur actus liber; atqui ab æterno non datur ea carentia; cum ab æterno non præcesserit noticia retrahens, & alliciens ad actum, cum qua noticia præcedenti connectitur, ut ajunt, illa carentia; ergo ea omisio non daretur, quotiescunque non daretur actus.

*Contrà* 2. Illa pura omisio non potest esse prior noticia retrahente, & alliciente ad actum; aliter quidem everteret libertatem; cum esset antecedens, & exclusiva actus; proindeque, ut ajunt Adversarij, esset per se subsequens illam notitiam allicientem, & retrahentem; ergo totum illius esse, prout à chymæra distinctum, necessariò inciperet in tempore; ergo esset ens positivum. Confirmatur. Si ab æterno non produceretur ens positivum, totum non esse ipsius daretur ab æterno apud ipsos carentiaros; ergo exclusio illius entis negativum non producti ab æterno, quæ incipiat esse in tempore, non potest esse quid negativum, sed positivum. *Contrà* 3. Ens, cujus totum esse dependet ab inductione entis positivi, positivum est, ut patet inductione; atqui ea omisio in responsione assignata sic se haberet; ergo esset ens positivum proindeque

proindeque juxta illius responſionem pura omiſſio libera implicat.

512. Reſpondebis 5. dependentiam puræ omiſſionis à ſuo motivo ſtare in præciſa coëxiſtencia carentiæ actûs cum principiis ad actum coëxiſtentibus. Contra tamen 1. Nulla eſt carentia diſtincta ab ente poſitivo augens numerum rerum, ut ex Philoſophia ſuppono; ergo motivum puræ omiſſionis nequit ſtare in coëxiſtencia talis carentiæ cum principiis libertatis ad utrumque indifferentis. Contra 2. Licet Petrus liberè eliciat actum charitatis, & miſericordiæ illique actus ſimul coëxiſtant pro libertate Petri, non ideo habet Petrus in actu charitatis motivum miſericordiæ, nec in actu miſericordiæ motivum charitatis; ergo, licet carentia amoris coëxiſtat cum principiis voluntatis ſe liberè determinantis, non ideo habebit voluntas in illa carentia motivum voluntatis ſe liberè determinantis. Contra 3. Licet Petrus, & Paulus ſimul coëxiſtant, & unusquisque ſe determinet liberè ad actum ſuum, actus Petri non habet pro motivo motivum Pauli; ergo coëxiſtencia omnino aliena eſt à motivo; aliter actus Petri coëxiſtens Petro volenti haberet idem motivum, quod habet Petrus nolens.

513. Reſpondebis 6. Petrum non coëxiſtere pro libito Pauli, neque Paulum pro libito Petri; carentiam verò amoris exiſtere pro libito voluntatis, quod fatiſ eſt, ut habeat motivum ratione illius coëxiſtencia. Contra tamen 1. Ex hac reſponſione fit, illam carentiam non eſſe pro libito voluntatis; ergo reſponſio nulla. Probat. anteced. Præciſa coëxiſtencia inter duo libera non ſufficit, ut unum ſit pro libito alterius; ut patet ex iſtis terminis, & fatentur Adverſarij in exemplo Petri, & Pauli adducto num. ſuperiori; atqui pura carentia, cum non ſit producta à voluntate, neque ſit effectus voluntatis, præciſe habet coëxiſtere cum voluntate; ergo &c. Contra 2. Pura illa carentia non eſt liberè inducta à voluntate, ſive pro libito voluntatis, quandoquidem voluntas nihil ponit in actu ſecundo, quod non exiſtat jam in actu primo, in quo neque eſt, neque intelligitur libitum voluntatis; ergo tunc pro libito non dicitur pura omiſſio eſſe libitum voluntatis.

514. Contra 3. Et explicatur magis præcedens ratio: induci aliquid liberè à voluntate, eſt poni pro libito voluntatis; proindeque, quando nihil ponitur, non eſt, quod inducatur pro libito voluntatis, neque exercetur voluntatis libitum; atqui purè omittere, non eſt aliquid ponere; ergo non eſt induci pro libito voluntatis. Quamobrem in hac reſponſione palam continetur vitioſus circulus; etenim, quando intendimus, quod pura omiſſio, cum non ſit affectus voluntatis, neque aliquid productum, non poteſt eſſe libitum voluntatis, nihil aliud reſpondent, niſi eſſe libitum voluntatis: quia eſt à voluntate liberè inducta, in quo

vitioſus circulus continetur. Declaratur magis; ſi quæramus, cur pura omiſſio ſit libitum voluntatis? Quid reſpondent? nimirum eſſe; quia liberè inducitur à voluntate. Si autem quæramus, cur pura omiſſio ſit libitum voluntatis? Quid reſpondent? induci nimirum; quia ponitur pro libito voluntatis; ergo hæc reſponſio nihil continet præter circulum vitioſum.

Contra 4. Libitum voluntatis creaturæ tunc datur, quando voluntas ex actu primo tranſit ad ſecundum realiter à primo diſtinctum; atqui voluntas non ita tranſit de actu primo ad ſecundum purè omittendò, ſive per purum nihil; ergo pura omiſſio non eſt libitum voluntatis. Probat. min. omnia principia indifferentia conſtitutiva libertatis jam erant in actu primo. Rurſus voluntas non producit puram omiſſionem; hæc enim apud Adverſarios improducibilis eſt; cum ſit purum nihil; ergo non ponit voluntas in actu ſecundo aliquid, quod non præhabuerat jam in actu primo; proindeque non tranſit de actu primo ad ſecundum; neque de non libito ad libitum voluntatis. Contra 5. Quæro, cur voluntas potens pro libito ſuo ponere amorem, pro libito ſuo non ponat illum? Sanè nulla alia reddi poteſt reſponſio, niſi, quod voluntas, licet ſit libera ad amorem, non ponit illum, quia non vult; ergo omiſſio amoris ſolum poteſt eſſe inducta pro libito voluntatis, quatenus voluntas libera non vult amare; ergo libitum voluntatis non ſtat in carentia, ſed in actu voluntatis inducente talem carentiam.

Probat. 2. conſuſio. Si poſſit dari pura omiſſio libera, poſſet quoque dari pura omiſſio peccaminofa, ut ferè omnes Adverſarij fatentur; ſed pura omiſſio peccaminofa repugnat; ergo & pura omiſſio libera. Probat. min. ex S. Auguſt. lib. de duab. Animabus cap. 11. de Civitate Dei cap. 13. lib. 3. de lib. arbit. cap. 1. de natura, & gratia, capit. 64. & 67. lib. 2. de libro arbitrio cap. 9. & 20. ubi conſtanter docet, non poſſe dari peccatum ſine actu, & motu voluntatis; ergo non poteſt dari pura omiſſio peccaminofa. Confirmat. 1. ex Bernardo de gratia, & libero arbitrio docente: nunquam poſſe peccati, ſi voluntas nihil omnino velit; tum etiam ex Anſelmo de Conciliis, ubi dicit: peccatum eſſentialiter eſſe aliquid velle; ergo &c. Confirmat. 2. ex D. Thoma 1. 2. q. 71. art. 5. dicente: ſi verò in peccato omiſſionis intelligantur etiam cauſa, vel occaſiones omittendi; ſic neceſſe eſt in peccato omiſſionis aliquem actum eſſe, non enim eſt peccatum omiſſionis, niſi cum aliquis prætermittitur, quod poteſt facere, & non facere. Quòd autem aliquis declinet ad faciendum illud, quod poteſt facere, & non facere, non eſt, niſi ex aliqua cauſa, vel occaſione conjuncta cum præcedente, eſt quidem cauſa illa non ſit in poteſtate hominis, omiſſio non habet rationem peccati, ſicut, cum ali-

515.

516.

quis propter infirmitatem prætermittat ad Ecclesiam ire; si verò causa, vel occasio omit- tendi subiaceat voluntati, omisio haber rati- onem peccati, & tunc semper oportet, quòd ista causa, in quantum est voluntaria, habe- at aliquem actum, ad minùs interiorem vol- untatis, qui quidem actus quandòque directè fertur in ipsam omisionem, puta, cum ali- quis vult non ire ad Ecclesiam, evitans labo- rem, & tunc talis actus per se pertinet ad om- issionem. Voluntas enim cujuscunque pec- cati per se pertinet ad peccatum illud, eò quòd voluntarium est de ratione peccati; er- go omisio peccaminosa ex D. Thoma non da- tur absque positivo voluntatis actu.

517. Confirmatur ratione. Repugnat peccatum, cujus esse non possit remorsus conscientia, & vitium in habitu malo relictum, ut exter- minis, & experientia patet; atqui de pura omisione nequit haberi remorsus, neque viti- um valet pululare; ergo &c. Probat. min. quoad primam partem; remorsus nascitur ex specie memorativa ab ipso naturaliter relictas; atqui pura omisio utpote nihil, relinquere nequit speciem sui memorativam; ergo &c. Probat. quoad secundam partem; vitium est habitus malus inclinans in effectus malos si- miles his, à quibus fuit productus; sed pura omisio, cum nihil sit, nequit producere ha- bitum, neque ille habitus posset inclinare in effectus malos, cum non detur inclinatio po- sitiva ad efficiendum nihil; ergo &c. Confir- matur. Habitus producitur ab actibus, & in- clinat in similes actus; sed pura omisio, cum nihil sit, nequit producere aliquid, neque po- test produci; ergo non potest relinquere ha- bitum.

518. Probat. 3. conclusio. Libertas in suo con- ceptu essentiali dicit inclinationem ad oppo- sita, quibus simul satisfacere nequit: consti- tuitur enim per cognitionem allicientem, & retrahentem; adeoque per propositiones mo- tivorum; ergo voluntas simul nequit ample- cti; nam alterum allicit media simplici com- placencia; alterum verò retrahit medià dis- placentiã; ergo repugnat, quòd voluntas se liberè exercent, quin eo ipso se accomoder alicui inclinationi, & alteri non resistat, eamque superet, & vincat. Modò sic: atqui resistere, superare, vincere important in resi- stente, superante, & vincente conatum acti- onis in oppositum; aliter enim in resistibili, superabili, & vincibili resistentia, & victoria inexplicabilis est; ergo &c. Confirmatur 1. Implicat, quòd ex parte actus primi dentur inclinationes repugnantes, & quòd voluntas nihil omnino agens, alteri obediat, & resi- stat alteri; atqui, si daretur pura omisio li- bera, voluntas nihil omnino agens alteri inci- nationi obediret; alteri verò resisteret, eam- que vinceret; ergo &c.

519. Confirmatur 2. Quævis potentia juxta su- am inclinationem immanenter, & modera-

tè operans suò exercitiò se perficit, se cor- roborat ad facilius efficiendum simile exerci- tium; sic aqua frigida facilius producit frigi- ditatem, quam aqua non frigida; ergo vo- luntas, quæ est potentia perfectior, quando pro libito suo se exercet, perficit, & ro- borat se ad facilius ita exercendum; atqui pura omisio, cum sit nihil, nequit perficere, & corroborare voluntatem; ergo &c. Con- firmatur 3. Voluntas nequit se actu exerce- re per nihil; ergo nec effectus poterit se e- xercere per nihil. Confirmatur 4. In eo di- stinguitur voluntas necessitata à voluntate li- bère operante, quòd voluntas necessitata im- pediri possit à suo exercitiò; ac proinde pos- sit determinari, quin aliquid operetur, eti- ommittat. Voluntas verò liberè operans non de- terminatur à suo exercitiò, sed ex inclinati- one ad operationem alliciente operatur; er- go non purè omittit.

Probat. conclusio 4. Libertas voluntatis essentialiter est disjunctiva potestas, & vaga ad actus oppositos; ergo non est possibilis pura omisio libera. Probat. anteced. Si vo- luntas libera non esset potestas disjunctiva, & vaga ad actus oppositos, voluntas non haberet pro fine exercitiij sui liberi moti- vum illud, ratione cujus relinquit moti- vum oppositum; sed hoc omnino fallum est, ut experientiã patet; ergo &c. Probat. mi. Nullus finis obtineri potest liberè absque ele- ctione, & executione mediorum; atqui, si vo- luntas libera non esset potestas disjunctiva, & vaga ad actus oppositos, liberè possit obti- neri finis, absque electione, & executione mediorum; quandoquidem pura omisio, cum sit nihil, non est executio, neque electio; er- go &c. Confirmatur 1. Finis se habet in eligibilibus, sicut se habent principia in de- monstrabilibus; ergo, sicut intellectus consti- tuitur potens ad conclusionem demonstrati- vam per evidentem cognitionem principio- rum; ita voluntas constituitur potens ad ele- ctionem per intentionem finis efficacem; er- go ad quodcumque extremum se vertat liberè voluntas, vertit se per illius intentionem, sive complexiva sit, sive averfiva; sed ex eo voluntas libera est potentia disjunctiva, & vaga ad actus oppositos; ergo &c.

Confirmatur 2. Omnis determinatio libe- ra utpote electio, & actio ex fine, vel est, vel secum affert intentionem finis; aliter na- que esset electio, neque esset ex fine; ergo li- bertas ad eligendum est libertas ad hunc, vel illum actum, quo obrineat finem; atqui pu- ra omisio, cum sit nihil, non potest esse ele- ctio, aut actus, quo finis obrineatur; ergo po- tentia libera nequit constitui ut libera per po- testatem ad purè omittendum, sed per pote- statem disjunctivam, vel vagam ad actus oppositos. Confirmatur 3. ab aliis ratione, in qua plurimum fidunt, ego autem, quam- vis non judicem eam omnino firmam, tamen  
quia

quia alicui fortasse placuit, ideo eam propono, atque ad hanc formam reduco: etenim in moribus primò primis ideo non datur libertas, licet cognitio voluntatis allicientis sit valde tenuis; quia voluntas solùm potest se exercere per actum, ac proinde, eo quòd tunc desint requisita ad unum, voluntas necessariò se exercet ad alterum; atqui, si voluntas posset omittere, hæc ratio nulla esset; ergo &c. Probat. min. Licet desissent requisita ad alterum actum, non ideo esset voluntas necessitata ad actum eliciendum, cum posset utrumque actum omittere; ergo, si voluntas posset purè omittere, ea ratio assignata nulla esset.

## SECTIO II.

*Solvuntur Opposita.*

522. **O**bjicitur 1. Ut constat apud omnes Philosophos, & Theologos, non solùm datur libertas contrarietatis, sed solùm contradictionis; ergo non solùm datur in voluntate libertas ad actus oppositos, sed etiam ad actum, vel puram omissionem actus. Confirmatur 1. Potest Deus suspendere concursum ad omnem actum positivum oppositum amori, simulque præcipere amorem, quin simul voluntas esset necessitata ad amorem; bonitas siquidè finita non necessitat ad amorem; ergo voluntas tunc liberè posset omittere amorem. Confirmatur 2. Ut voluntas possit liberè omittere amorem, non requiritur, quòd possit elicere odium, aut nolitionem amoris; ergo potest purè omittere, quatenus præcisè potest elicere amorem, vel puram amoris omissionem. Probat. anteced. Ut voluntas possit liberè omittere amorem, sufficit motivum præcisè retrahens ab amore, quod non sufficit ad odium objecti, minùs quippe requiritur ad retrahendum ab amore objecti, quàm ad prosequendum odii objectum. Denique ad liberè amandum non requiritur omisso amoris, sed bonitas objecti; atqui absque cognitione amoris non potest voluntas elicere volitionem amoris; cum nihil volitum, quin præcognitum; ergo, ut voluntas possit liberè omittere amorem, non requiritur potestas ad odium, vel ad nolitionem amoris.

523. **R**espondeo conced. anteced. & nego consequ. quia libertas contradictionis non debet esse realiter distincta à libertate contrarietatis, sed solùm formaliter; eadem enim libertas prout concipitur in ordine ad extrema contrariè opposita v. g. ad amorem, vel odium, dicitur libertas contrarietatis; sed solùm formaliter, & prout concipitur in ordine ad amandum, vel non amandum, dicitur libertas contradictionis: quæ satis sunt ad istam Philosophorum & Theologorum divisionem. 2. quia ad libertatem contrarietatis requiritur libertas ad extrema contraria opposita v. g. ad a-

morem, vel odium; ad libertatem autem contradictionis non requiritur libertas ad extrema contrariè opposita, sed sufficit libertas ad amorem, vel nolitionem amoris; ad eum quippe modum, quo quandoque dicimus, nolo Petrum amare, neque odium habere: tunc enim jam est verum, quòd voluntas potest ponere, vel non ponere amorem, sive quòd voluntas potest dari amor, vel non amor, qui quidem tunc amor non sit purum nihil, sed arguatur semper ex aliquo positivo, quod liberè inducitur. Unde ad constitutum libertatis, contrarietatis, & contradictionis frustra exigitur pura omisso.

Ad primam confirmationem nego anteced. hic enim agendi modus est purè petitio principii, ut per se est evidens, tunc enim necessitaretur voluntas, licet non à finita bonitate, saltem ex eo, quòd non haberet comprincipia ad oppositum, quibus posset pro libito suo ex fine, & motivo rationabiliter operari, ut constat à n. 503. Ad secundam confirmationem nego anteced. ad probationem dist. maj. non requiritur determinata potestas ad odium, vel ad nolitionem amoris, conc. indeterminatè, neg. maj. & conc. min. & nego consequentiam. Ratio est, quia; quando quis liberè amat, requiritur, quòd sit expeditus, & ponat amorem tanquam agens rationale, agendò nimirum ex fine, & motivo. Insuper, si quis poneret amorem, quando est solùm expeditus ad amorem, vel ad odium liberè cedens inclinationi ad amorem, & liberè resistens inclinationi ad odium, jam operatur tanquam agens rationale ex fine, & motivo. Pariter, si quis ponat amorem ex uno motivo, aut nolit illum ponere ex alio per nolitionem, aut volitionem liberè se, vel rationabiliter exercebit; si autem non ita se haberet, non posset operari tanquam agens rationale ex fine & motivo, ac proinde non posset operari liberè. Quare, licet non requireretur determinatè potestas proxima ad odium, neque requiratur determinatè potestas proxima ad nolitionem amoris, ut aliquis liberè eliciat amorem, requiritur essentialiter indeterminatè unum è duobus.

525. **O**bjicitur 2. Potestas immediata ad omittendum, est potestas immediata ad purè omittendum, si potestas sit libera; atqui Petrus constitutus cum potestate proxima ad amorem, & odium, habet potestatem, quidem liberam ad purè omittendum amorem; ergo habet potestatem liberam ad purè omittendum amorem; consequentia tenet, major est certa; quia potestas immediatè libera ad omittendum amorem, est potestas libera ad non ponendum amorem, quin mediet ullus actus positivus voluntatis: ergo potestas immediata ad omittendum, est potestas immediata ad purè omittendum, si potestas illa sit libera. Probat. min. primi syllogismi. Omnis potestas libera immediata ad unum extremum possi-

positivum, utpote immediatè ad duo extrema contradictoria, est immediatè libera potestas ad omittendum; ergo &c. Sic arguit Isquierdo.

526. Respondeo nego maj. ad probationem dist. antecedens; quin mediat ullus actus imperitiosus, ut agens liberum rationabiliter se exerceat ex fine, & motivo, concedo; necessarius, ut ita se exerceat, nego antecedens, & consequentiam. Potestas enim immediatè libera ad omissionem amoris ex conceptu potestatis liberæ ad omissionem, est potestas ad ponendum immediatè amorem, vel ad ponendum immediatè actum impossibilem cum amore: nam, ut constat ex sæpe dictis, est potestas ad rationabiliter operandum ex fine, & motivo, & hæc intelligi nequit, nisi prout à nobis explicatur; imò, si Adversarius supponit aliam potestatem immediatè liberam ad omissionem, nego suppositum majoris, nimirum, quòd sit possibilis talis potestas ab eo conficta.

527. Neque exinde inferitur, ut ibi intendit Isquierdus, voluntatem fore necessitam ad amorem, si non sit immediatè libera ad omittendum purè; cum voluntas, ut ipse ait, sit eo modo necessitata ad unum extremum contradictorium, quo modo non posset evitare aliud, ac proinde voluntas non potens immediatè omittere amorem, erit immediatè necessitata ad amorem. Hoc inquam perpetram inferitur; nam tunc solum impotentia ad unum contradictorium est necessitas ad alterum, quando illa impotentia non est simul potentia ad aliud extremum inseparabile à contradictoria, ad quod non est impedita potentia. In nostro autem casu impotentia libera ad purè omittendum est simul potentia ad ponendum alium actum impossibilem cum amore. Unde irresistimè inferitur ab Adversario, fore tunc voluntatem necessitam ad amorem.

528. Obic. 3. Quando voluntas est libera ad intentionem actus v. g. ad amandum ut quinque, & solum amat ut duo purè omittit liberè; ergo est possibilis pura omisio libera. Probat. anteced. In illo casu vel voluntas purè omittit liberè illos tres gradus amoris usque ad quintum vel non? Si primum; ergo datur pura omisio libera quoad tres gradus, ac proinde posset eodem modo dari pura omisio libera quoad totum amorem; si secundum; ergo omittit per nolitionem eorù. Hoc autem manifestè repugnat; nam nulla nolitio est, de qua non fieret eadem suppositio, nimirum, quòd posset esse intensa ut quinque, & solum diceretur intensa ut duo: sicque omitterentur tres gradus amoris, de quibus redit eadem quæstio, & sistendum erit in aliqua pura omisione; aliter procederetur in infinitum, quod magnum esset absurdum; ergo &c. Confirmat. Ut voluntas eliciat actum amoris intensum ut quinque, non est

opus, quòd cognoscat intentionem ut quinque; ad eliciendum enim amorem, non debet præcognosci amor, cum amor non sit amatus per se ipsum; sed solum debet tantum præcognosci res, quæ amatur, eò quòd nihil volitum, quin præcognitum; ergo, quin voluntas advertat ad primum gradum intentionis, potest illum omittere; sed quando, non advertit, tunc neque elicit volitionem, neque nolitionem contra illum, sed purè omittit; ergo &c.

Respondeo nego antecedens. Ad probationem dico, voluntatem non purè omittente tres illos gradus amoris usque ad quintum; sed omittente illos vel per formalem, vel per virtuales nolitionem illorum, quin ex illa volitione sequatur processus ullus in infinitum, ut intercedebat argumentum; ratio est, quia voluntas non posset actus nolle reflexos, quin ipsi per illum repræsententur; illi autem nequeunt sine fine repræsentari voluntati, quia, cum intellectus sit potentia finita, & limitata, sistit alicubi necessariò, ideoque ibidem sistat voluntas, necesse est; imò nulla saltem plerumque adest ejusmodi reflexionis effectiva cognitio, & actualis advertentia de magna, vel parva amabilitate, aut inamabilitate ipsius amoris directè, ut experientià liquet. Insuper, cum ejusmodi reflexiones sint valde operosæ, & difficiles, utpote à sensu, imaginatione valde remotæ, nihilque conferant ad finem præintantum directæ amplexionis objecti, ea de causa finis ipse non movet, aut applicat ad illos intellectum, & voluntatem; sed ad ea, quæ necessariò sunt, ut dicemus num. sequenti.

Ad confirmationem dist. anteced. non est opus, quòd advertat intentionem ut quinque determinatè sub hac expressione intentionis ut quinque, conc. sub hac, vel sub alia, neg. anteced. & consequ. Ad probat. subjunctam dist. eodem modo majorem, & nego consequentiam. Ratio est, quia non potest voluntas amare objectum, quin ab intellectu repræsentetur bonum; repræsentari autem ut bonum; sive repræsentari ut amabile, sunt synonyma, cum autem non possint repræsentari ut amabilia, quin repræsentetur amor, exinde nequit voluntas habere cognitionem sufficientem ad amandum objectum, quin voluntati repræsentetur amor; potest autem amor repræsentari vel sub hac expressione magis, vel minus intensi, vel vehementis, vel sub hac ex majori, vel minori voluntatis conatu elicit, aut ex quacunque alia simili, quod sufficit, ut voluntas possit elicere amorem erga objectum; amor autem ille, qui à voluntate juxta hanc vehementiam, appropiationem, aut conatum elicitur, & non sub altera, poterat elici, eo ipso est aut formalis, aut virtualis volitio alterius intentionis distinctæ ab actu, ejusque intentione: proindeque actus ille est formalis, aut virtualis, aut solum inter-

prerativus amor sui, ut diximus num. 25. i-  
deoque se ipso excludit majorem, vel mino-  
rem intentionem, in quam voluntas prorum-  
pere poterat, in quo quidem stat, quod actus  
sit amor sui solum virtualis; hæc enim omnia  
necessaria sunt, ut voluntas liberè se exer-  
cat quoad intentionem majorem, vel minorem;  
alia verò reflexiones non sunt necessariae ad  
eliciendum directum amorem objecti; proin-  
deque opus non est ulteriori advertentia ad a-  
lias reflexiones, ut voluntas hic, & nunc ad  
directum amorem objecti, atque ad intensio-  
nem illius sit libera, ex quo lucem non mo-  
dicam accipiunt ea, quæ diximus num. supe-  
riori. Videatur Quiros, Sfortia, Ribad. Salas,  
Wading. & Lince, Erretra, Faber, Pontius,  
Esparza lib. 30. de actib. hum. quæst. 15. a.  
1. & 4.

331. Obijcies 4. Voluntas indifferens ad impe-  
randum amorem, aut odium, non solum est  
indifferens ad amorem, aut odium; sed eti-  
am ad imperium. Ponamus ergo, Petrum  
sic instructum amare, & omittere imperium,  
in eo quippe casu, Petrus pure omittet im-  
perium; ergo potest dari pura omisio libera.  
Probat. anteced. non potest omittere imperium  
per aliud imperium reflexum; ergo omittit  
imperium directum per puram omissionem li-  
beram. Probat. anteced. ut detur imperium  
reflexum, debet præcognosci directum, & ut  
daretur imperium circa imperium directum  
seu immediatum, deberet illud aliud imperi-  
um cognosci, & sic iretur in infinitum; ergo ad  
evitandum processum in infinitum, dicendum  
est, quod voluntas non possit omittere impe-  
rium per aliud imperium reflexum. Respon-  
deo omisâ hypothesi nego anteced. ad prob.  
nego ant. ad probat. dist. anteced. sub hac,  
vel alia æquivalenti expressione, nimirum pro-  
ut cognoscitur amor hic, & nunc imperabi-  
lis, conc. debet præcognoscere imperium di-  
rectum sub hac determinata expressione, neg.  
anteced. & consequentiam. Ratio est, quia,  
ut voluntas sit indifferens ad imperium amo-  
ris, vel odii, necesse est, quod amor propo-  
natur imperabilis; pariterque odium impera-  
bile: aliter non esset indifferens ad imperan-  
dum. Sic voluntas non est indifferens ad a-  
mandum, si objectum non proponatur ut a-  
mabile, neque ad odium habendum, si obje-  
ctum non proponatur ut odibile; exinde au-  
tem nullus sequitur processus in infinitum;  
quandoquidem per ipsum amorem potest vo-  
luntas excludere imperium directum, ut, si  
veller imperare, posset etiam per imperium  
reflexum imperare amorem, atque per illum  
excludere simul omnia imperia reflexa. Cum  
enim Voluntas ad hæc omnia libera sit, po-  
test quam optimè absque ulla repugnancia eo  
modo se exercere, atque in illo imperio siste-  
re; ex quo manifestè exclusus est processus in  
infinitum, quod velint, nolint, fateri tenentur  
Adversarij docentes: aliquam voluntatem pos-

se aliquando imperare, atque nolle aliud impe-  
rium absque ullo processu infinitum.

Objic. 5. ex absurdis primò: ex nostra sen-  
tentia destrui distinctionem communem apud  
Theologos inter præcepta positiva, & nega-  
tiva, ex eo, quod præceptum quodlibet obli-  
garet ad aliquem actum positivum, adeoque  
nunquam peccaret, nisi per positivam com-  
missionem. Secundò. Nullam manere liber-  
tatem ad simplicem complacentiam, hæc e-  
nim per solam puram omissionem potest li-  
berè impediri; non verò per aliquem actum,  
cum nullus ei contrarietur. Tertio. Non pos-  
se Deum communicare Angelo virtutem ad  
plures amores syncategorematicè infinitos pro  
eodem instanti; nam, cum non possit tot po-  
nere, quin plures, deberet aliquos pure omit-  
tere; ergo sententia nostra &c.

Respondeo, nullum ex absurdis sequi, non  
quidem primum, quia præcepta negativa,  
qualia sunt inter duo extrema contraria v. g.  
oditum, & amorem Dei, obligant pro semper  
ad non ponendum extremum contrarium v.  
g. odium Dei; affirmativa sunt, quæ non o-  
bligant pro semper, sed ad ponendum ali-  
quando amorem; cum ergo possit poni non  
odium, quin ponatur amor præcisè per noli-  
tionem, quæ nec amare velimus, nec odiò pro-  
sequi, ut constat ex sæpe dictis, præsertim n.  
523. satis distinguntur independentè à pura  
omissione præcepta negativa à positivis, at-  
que per hoc etiam distinguitur peccatum com-  
missionis à peccato omissionis; quia ad pec-  
catum commissionis requiritur amplexio ex-  
tremi prohibiti; ad peccatum verò omissionis  
sufficit nolle neque unum, neque alterum ex-  
tremum; ex quo principio alij aliter nostram  
solutionem explicant, dicentes: peccatum om-  
missionis, quo violatur præceptum affirmati-  
vum, dicere de formali omissionem actus præ-  
cepti, & tamen de materiali actum, qui est  
causa, vel occasio ejus omissionis; ut ait D.  
Thomas citat. num. 506. Quo in sensu in-  
telligendus est etiam lib. 2. quæst. 6. art.  
3. licet non adeò clarè rem definiat: è conver-  
sò peccatum commissionis, quo violatur præ-  
ceptum negativum, dicit de formali actum  
prohibitivum, & de materiali tantum omis-  
sionem actus impossibilis cum prohibito;  
ex quibus patet, ad explicandas has divisiones  
frustra exigi puram omissionem liberam.

Neque ex hac nostra sententia sequitur se-  
cundum absurdum; quia, cum voluntas libe-  
ra est ad simplicem complacentiam, eam im-  
pedire potest per nolitionem efficacem ipsius;  
unde ad eam libertatem perperam requiritur  
pura omisio libera: quinimò, ut plures do-  
cent, quia voluntas libera est ad simplicem  
complacentiam, potest pro libito suo mentem  
ad alia distrahere, atque per mentis distractio-  
nem simplicem complacentiam impedire, un-  
de non modo unum, sed plura supersunt media  
ad impediendam simplicem complacentiam,  
quin

quin fit opus recurrere ad puram omissionem liberam.

535. Neque tandem sequitur tertium absurdum; quia Angelus posset omittere per positivam volitionem alterius actus in hypothesi, de qua loquitur argumentum, quamvis illam permitteremus possibilem; posita enim ea volitione redderetur voluntas impossibilis cum ulteriori actu, proindeque per eam volitionem reliquos actus omitteret; quare non pure omitteret; dixi in *hypothesi*; quia Theologi communiter eam reputant impossibilem, utpote repugnantem limitationi actus creati impotentis simul attendere ad infinita; quovis modo fit, facile apparet, vanum omnino esse timorem de tali absurdo ad sententiam nostram consecutum, quandoquidem longè ab illo distamus.

Ex nostra sententia præcluditur aditus ad aliquas difficultates, quas tenentur, solvere, atque acriter ad earum decisionem hinc inde pugnare Auctores, qui censent possibilem esse puram omissionem liberam. Est enim apud illos non modica controversia, an pura ommissio libera possit esse peccaminosa; Affirmant plures. Alij verò negant, quos inter Rev. P. noster Thyrsus tom. 3. select. disp. 1. fecit per totam. Rursus alij quærent, an dari possit non solum pura ommissio peccaminosa, sed etiam meritoria? Circa quod sunt etiam variæ sententiæ; Nos autem circa has, & similes controversias facile respondemus, dicendò, neque dari posse puram omissionem liberam peccaminosam, neque meritoriam, cum pura ommissio libera chymærica prolixè, ac impossibilis sit.

